TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

PNEUMONIA.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
PNEUMONIA:
QUOD
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENÆ PRÆFECTI,
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GILBERTUS LYON,
JAMAICENSIS;
COLL. REG. CHIRURG. EDIN. PERMISSUS.

"Morbi non eloquentia sed remediis curantur."—CELSUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXIII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

FRATRI CARISSIMO

JACOBO LYON, ARMIGERO,

APUD BRISTOL:

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

UT

FRATERNI AMORIS PIGNUS

TENUE, SED SINCERUM,

LUBENTISSIME INSCRIBIT

AUCTOR.

VIRO PROBISSIMO

JACOBO BEGBIE, M. D.

COLLEG. REG. CHIR. EDINENSIUM

SOCIO;

MEDICINAM EDINBURGI DOCTISSIME FACIENTI;

OB AMICITIAM, DOCTRINAM, CONSILIUM,

QUIBUS ILLE

SE SUAQUE STUDIA

ADJUVIT FOVITQUE

ANIMO GRATISSIMO,

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM

OFFERT

GILBERTUS LYON.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

PNEUMONIA.

AUCTORE GILBERTO LYON.

FABRICA Pulmonum delicata, munera vitalia, consensus eorum cum aliis partibus amplissimus, quanti maximi momenti morbi ejus futuri sint, luculenter docent. Horum autem omnium, utcunque gravium, inflammatio frequentissima est, praesertim sub hoc adeo mutabili coelo: pauci, sibi relicti ad finem lethalem celerius deproperant; licet sub cauto et attento medico, nullus detur pulmonis morbus, qui citius remediis cedat.

A diversis partibus pulmonis inflammatione affectis, diversa nomina huic morbo imposue-

runt medici. Si pleura inflammatur, tum Pleuritis dicitur; si pulmonis substantia, Pneumonia vel Peripneumonia. Quum inflammatio pleuram occupavit solam, dolore minus acuto, pulsu tenuiore, dyspnoeâ et tussi minus molestis, notatur. Neque facies adeo turget ut in Pneumonia, licet haec discrimina saepius fallacia sint, quippe quod haud raro pleura cum pulmone simul laboret, vel altera cito in alteram transeat. Probam hujus morbi definitionem tradidit CULLENUS in classe Pyrexiarum ordine Phlegmasiarum Nosologiae suae. "Pyrexia, dolor in quadam thoracis parte, res-"piratio difficilis, tussis."

Hic morbus fere horroribus, aliisque febris signis accedit; adeo quidem ut aeger diu sub febre tantum communi quadam laborare putatur; aliquando pyrexia a principio aliis signis stipata est, saepe tamen per aliquot horas ante doloris accessionem homo febricitat; pulsus plerumque frequens est, plenus, robustus, durus, celer; spirandi difficultas; pneumoniae constantissimum indicium, gravior fit, ut mor-

bus progreditur; spiritus saepe brevis, frequens est, doloris violentia plenam aeris inspirationem prohibente; sed cum dolor aut hebes aut nullus est; spiritus quasi oppressus, laboriosus evadit; cum anxietate, ponderisque circa praecordia sensu. Dolor quoque inter spirandum maximus est, aut cum aeger in certo quodam positu collocatur; maximus fere fit aegro in latus affectum decumbenti, sed aliquando dum sano incumbit. Multis in dorso vel pectore discumbere juvat; saepe tamen positus corporis erectus necessarius est. Quando inflammatio valde intensa est, spiritus oris praeter solitum calere observatur; sedem dolor habet, fere per omnes varias thoracis partes, sed frequentissime in latere sinistro prope costam sextam septimamve, anterius paulo quam media hujus pars est. Plerisque exemplis fixus est, sed aliquando e latere ad scapulam, sternum, vel claviculam jaculatur. Genus gradusque, quam sedes doloris minus variant, modo autem acutissimus, modo, diffusus, obscurus vel obtusus: Multis non percipitur, nisi in alterutrum latus aeger decumbat, plene inspiret vel tussiat.

Denique nonnullis, ut dicitur, dolor omnino non sentitur, et medicus, ex aliis signis, ut morbi naturam expiscatur, necesse est. Talibus vero exemplis, quum fere nihil sit quod tenere solet, tussis enim, febris, spirandi difficultas sola adsunt, nil mirum est si medicus raro accersiatur, donec jam non amplius prodesse queat.

Tussis plerumque Pneumoniam comitatur, atque cum dolor gravis est, signum perquam molestum est, aliquando sicca, saepius cum sputo est, et quamvis initio sicca, raro ad finem usque sine humore perseverat. Materia ejecta tam crassitudine quam colore variat, saepe autem sanguine tincta apparet.

Alvus fere adstricta, sed aliquando naturalis. Urina saepe apud initium morbi sedimentum lateritium deponit. Cutis calida, sicca est, sitis quoque adest, vultus suffusio nonnunquam purpurea, cum omnibus Synochi indiciis.

Quando ad finem jam lethalem morbus urget, omnium vel maximae partis signorum manifesta exacerbatio est; dolor per totum thoracem magis generaliter sentitur, spirandi dif-

ficultas augetur, tussis molestior est, extrema frigida evadunt, et frigidi sudores erumpunt. Oculi languidi et hebetes fiunt et tandem miserrimus aeger morbo penitus confectus, aggressionibus ejus succumbit.

Pneumonia Resolutione, Suppuratione vel Effusione terminari potest.

Resolutio sola est fausta Pneumoniae terminatio; atque critica plerumque evacuatione stipatur, qualis est sudoris profusio, Epistaxis, Diarrhoea, sed frequentissima est sputi crassi, albidi vel flavidi excretio. Ante haec omnium malorum remissio fit; dolor mitescit, tussis quiescit, spiritus simul facilior evadit.

Suppurationem vero affore suspicandum est, si signa resolutionis ante diem sextum vel septimum non supervenerint, si morbus remissioni aliisque idoneis remediis, non cesserit; maxime si delirium, cum pulsu molli quasi undulante accedat.

Sed suppurationem jam factam esse ducimus ab horroribus crebris abnormibus, sine causa manifesta ortis, a dolore mitigato vel sublato, dum dyspnoea perseverat; a sensu demum

plenitudinis gravitatisque in pectore, aegro interea nisi in latus affectum decumbere non tolerante. Tandem accedit hectica, cum exacerbationibus vespertinis cumque ea pulsus rapidus, vires vitae paulatim exhausturi.

Effusione facta, vultus anxius, turgidus, parum tamen calens, lividus, corpore plus minus erecto uti cogitur; summa cutis parum calet, quin manus pedesque subinde frigidulae, livescentes inveniuntur, respiratio non nisi summo labore, tam expirando quam inspirando efficitur.

Effusio in cavitatem thoracis plerumque latet, donec humoris accumulatio satis magna evaserit.

Suspicamur tamen adesse, cum post inflammationem difficultas decumbendi manet, cum Dyspnoeâ quâdam pepetuâ. Quum Empyema, vel puris in cavum thoracis profusio fit, hoc, ut Baillie ait, satis certo dignosci potest, horroribus post Pneumoniam aggressis, doloris remissione, dum tussis atque Dyspnoea perstant; decubitu demum in latus affectum magis difficili. Ejusdem lateris ob

humorem accumulatum, manifestus saepe tumor est.

Empyema rarissime simul in ambabus pleurae cavitatibus occurrit, alteram tantum occupare consuevit. Pauculis interna pulmonis superficies exulceratur, et materia per tracheam expuitur: sed longe plurimis haec viam sibi per pleuram costalem aperit.

Postremo, peculiaris quaedam in pulmonem inflammatum effusio nuper descripta est, qua lympha coagulans sanguinis in tela interlobulari pulmonis elapsa, totum eum in massam quandam solidam, et hepatici coloris, crassitudinisque conglutinat. Pulmo inutilis fit, utpote cui fistulae aërem admittere negent, costis fere adhaerescit easque introrsum retrahit, nec raro Phthisis pulmonalis aut causa aut comes evasit. Haec effusionis species *Hepatisatio* vulgo denominatur.

Robusti, ac pleno corpore praediti in hunc morbum maxime proclives sunt, praesertim ubi diathesis phlogistica subest. Hinc masculi prae feminis magis obnoxii reperiuntur. Minime omnium proni ii sunt, quibus habitus

corporis laxus, debilis est, concoctio prava, vitae genus ignavum.

In media aetate, vel potius inter quadragesimum quintum et sexagesimum frequentius contingere CULLENUS auctor est. Saepe hyeme, vere autem saepissime videtur, atque crebrius, fere quo frigidior, humidior, mutabilior tempestas sit. Multi medici auctores sunt omnes tempestatis vicissitudines, frigidae, sive fervidae, humidae sive siccae fuerint ad Pneumoniam hominem dare proclivem. Ut alias inflammationes, sic Pneumoniam quoque evacuationes suppressae, utpote plethoram gignentes, superinducere possunt. Aliorum morborum quoque metastases, quales sunt Podograe, Rheumatismi idem efficere valent. Qui semel hoc morbo affecti sunt, a levissimis causis admotis, novam accessionem facile patiuntur. Causae vero excitantes sunt pulmonum ab externis causis injuriae, exercitatio vehemens, sanguinem rapide per eos transire cogens, tussis vehemens, clara lectio vel locutio, vapores acres pulveris cum spiritu inhalati; sed causa longe frequentissima frigus est, subito vel par-

tim admotum, dum cutis madet. Fortasse et causae praedisponentes nonnullae, praeter modum intensae, excitantes evadent.

Pneumoniae causa proxima inflammatione substantiae pulmonum, vel eorundem, aut costarum demum membranae, consistere videtur.

Morbi quibuscum Pneumonia confundi potest, Catarrhus sunt, Pleurodynia, Hepatitis, Carditis, Hysteria cum dolore pectoris.

Catarrhus notatur dolore, et gravedinis cujusdam oppressionisque circa frontem, respirandi per nares difficultate. Oculi nonnihil teneri sunt, suffusi, quin lacrymas acres copiose profundunt. Sternutatio crebra est, atque e naribus ingens muci distillatio est. Raucedo accedit, tussis dura, clangens vexat, magnum pectoris dolorem ciens, capitis dolorem evadens, nec nisi parcum limpidum sputum emoliens, postea magis viscidum atque opacum factum. Tussis minus vehemens est, angustia quaedam vel constrictio pectoris saepe percipitur, nec non in membris dolores, hebetudo,

vel lassitudo. Nihilominus exempla non desunt quibus catarrhus in Pneumoniam transit, inflammatione ad ipsos pulmones ex arteria aspera propagata.

Pleurodyniae dolor, immoto corpore vix sentiendus, e motu miro exasperatur, sed ut pectore fixo laborantes saepe solo septo transverso respirare conantur. Plena inspiratio primâ et secundâ vice dolorem mirificè aggravet, sed cum ea actio saepissime repetita est, dolor paulatim decrescet. Quin et sedem suam crebro mutat, sed in omnibus manus impressa cruciatum vehementer auget. Pulsus plenus et fortis sed non valde durus: et qui pleurodynia laborat, jam vel olim Rheumatismo affectus fuit.

Hepatitidis autem signa haud raro Pneumoniam vehementer simulant. Distinguitur vero Hypochondrii dextri tensione et dolore qui sursum ad humerum dextrum tendit, vel eo solo percipitur, pressu facile auctus. Respiratio primo aliquando parum afficitur, sed postea laboriosa fit. Vultus pallidus est, subfuscus, vel flavidus, lingua saepe sordibus ob-

taeta, adsunt fere anorexia, nausea, singultus, alvus adstricta, et cum descendit, albidula, varia, praeter naturam est. Urina saepe flava, colore luteo demissa tingit.

Ab aliis intra thoracem inflammationibus Carditis distingui non potest, nisi cum signis communibus conturbatae circulationis indicia superaddita sunt. Dicunt utique ingentem spiritus vultus et gestus anxietatem et agitationem comitari, necnon dolore in cordis regione, palpitatione, Syncope.

Thoracis illa, quam Hysteria inducit, affectio hisce distinguitur indiciis. Vultus miram anxietatem et agitationem manifestat; nares magna rapiditate moventur, dolor capitis valde auctus est, atque pars indicata tactu vehementer dolet: aegra simul admodum impatienter se gerens, manum quaerentis e parte normal amovens, nec raro prae dolore exclamans. Dyspnoea simul urget: respiratio rapida accelerata est, atque saepe cum sonitu sibilante, motibus simul thoracis et abdominis violentis comitatis. Tussis frequens, rauca, sibilans aegre sistenda; pulsus parum acceleratus: nec

raro aliqua signa Hysteriae evidentiora unà adsunt.

Prognosis hujus morbi, summâ curâ ducenda est, a statu signorum tam praesentium : febris vehemens, cum delirio, spiritu perquam difficili ; dolor acutus, tussis sicca, vel sputum quasi atrum emoliens : subita doloris vel sputi cessatio, labiorum vel vultus pallor, alienatio ; pulsus demum subsidens, inaequalis, maximum aegri periculum denotant.

Contra, si febris indicia leniora sunt, spiritus difficultas, dolorque minuuntur, si sputum materiae crassae flavae, liberum fit, vel quaevis alia critica evacuatio contingat, qualis est Haemorrhagia e naribus, Diarrhoea, Diaphoresis liberalis, urinâ simul sedimentum copiosum demittente, tum faustum morbi finem sperare licebit.

Hujus morbi curatio in generalem et specialem diduci potest, sub priore sanguinis missio stat de quo primum agere propono. Hoc auxilium nunquam omittendum est, protinus ab ipso morbi initio adhiberi debet,

et quamvis primo triduo vel quatriduo efficacia ejus maxima sit, ubicunque tamen signa evidentia sunt, vires tolerabunt, eo confugiamus, curâ maximâ habita, ne post suppurationem venaesectio celebretur. De ampla incisione sanguis fluere debet quia compertum est, eum hoc morbo plus prodesse, quam ex incisione tenui, licet copia majore missum; fluere debet, usque dum dolor, ac spirandi difficultas levantur, vel donec aeger anima defecturus sit. Hoc enim fere remedio solo, ad Pneumoniae curationem niti oportet. Raro una sanguinis missio utcunque ampla morbum superat, et dolor et spirandi difficultas a prima venaesectione saepe multum levantur, haec signa post breve intervallum recidunt, nec raro nihil lenita. Observatum est, post venaesectionem, quod si, crusta coriacea sanguinis non amplius appareat, tum ulteriorem ejus missionem negligere licere. Hoc autem verum non est, nisi signa simul lenita fuerint. Multis enim Pneumoniae exemplis crusta coriacea nunquam sanguine videtur, aliis diu ante inflammationem, decedit. Nihilominus sanguinis

aspectus nequaquam negligendus est nam crustae coriaceae diminutio faustum semper indicium est.

Copia tamen sanguinis ducenda, secundum vires aegri, pulsus vigorem, signorum violentiam, regi debet, nullus enim datur morbus, venaesectio supra modum celebrata, sine periculo est. Dictum fuit, hoc remedium, nimis copiosè in Pneumonia usurpatum, sputum difficilius reddere; facileque in Hydrothoracem vel Phthisin morbum terminare.

Digitalis, ut, viribus et frequentia pulsus imminutus, venaesectioni auxiliaretur, data est nonnullis utilis fuit, sed cum effectus ejus incerti sunt, ea sola nequaquam fidere oportet. At auxilium tamen haud contemnenda est.

De Catharticis in Pneumonia curanda, parum inter medicos convenit. Nonnulli etiam drasticis usi sunt, quo melius missi sanguinis effectus promoverent; sed mitiora magis utilia reperiuntur, iis maxime dosibus quae idoneam alvi actionem constanter sustineant. Illud tamen discriminis omnia purgantia habent, ut sputum minuere et exsiccare tendunt.

Sudorifica hic multum profutura esse, a beneficio sudoris sponte eliciti medici judicaverunt, atque illorum utilissima reperta sunt, antimonii praeparata, ut nauseam moveant data, quoniam non tantum cutem relaxent, sputum promovent, sed et cordis arteriarumque motum extra ordinem compescunt. Submurias hydrargyri mitis, cum opio conjunctus eandem efficaciam possidere inventus est.

Expectorantia quoque usurpata sunt, sed non nisi pauca huic morbo bene accommodantur; earum enim pleraque stimulant nimis, sed cum inflammatio propemodum domita fuit, et bronchiae muco pene obstructae, tum scillae praeparata commodissima fuerunt ad eum expectorandum. Perseverante autem inflammatione, utilissima sunt antimonii praeparata, veluti supra dictum est, nec non misturae mucilaginosae, vel aquae calefactae vapor inhalatus. Opium quoque in ultimo hujus morbi stadio, id est, post inflammationem cessatam commodum est. Tussim enim sedat, somnum conciliat, sputum promovet.

De remediis specialibus nunc agendum est. Sanguinis missio e parte thoracis dolente tum maxime adhibendum est, cum vires aegri tenues, ne detractio generalis instituatur prohibet. Congestioni quidem partis tollendae hoc remedium bene accommodatur, atque aut hirudinibus multis, aut cucurbitula cruenta perfici potest.

Vesicatoria valde proficiunt, tamen non admovenda sunt, nisi febre, a remediis jam indicatis nonnihil subactâ. Ampla esse debent, ut doloris sedem contingant, atque seri profusio inde facta, unguentis et ceratis stimulantibus, vel quod melius est, ipsis repetendis, continuetur.

Fomentis olim medici usi sunt, sed haec e praxi recentiorum exularunt; molesta enim sunt, et nihil fere commodi praestant.

Regimen antiphlogisticum accuratissime observetur, nihil praeter farinacea, permittendum est, eorumque copia parcissima. A victu animali, et potu omni stimulante, quam maxime abstinendum.

FINIS.